

O D E

SERENISSIMO REGIO HAEREDITARIO
PRINCIPI
ARCHIDUCI AUSTRIAE

ET

REGNI HUNGARIAE PALATINO

JOSEPHO

AC

SERENISSIMAE
CAESARAE PRINCIPI

ALEXANDRAE

FILIAE POTENTISSIMI RUSSORUM
IMPERATORIS

PAULI

FELICI HYMENAEI CONJUNCTIS, ET BUDAE
INTER LAETITIAM HUNGARICAE NATIO-
NIS HABITANTIBUS

SACRATA

AB

JOANNE CHRYS. HANNULIK

ESCHOLIS PHS.

ARCADE ROMANO

Mense Aprili Anni 1800.

PESTHINI,
TYPIS MATTHIAE TRATTNER.

REGIUM AUSTRIAE
ARCHIDUCI AUSTRIAE
ET
REGNI BOHEMIAE PALATINO
JOSEPHO
A.
SERENISSIMAE
CAROLINAE PRINCIPIS
ALEXANDRAE
FILIAE POTENTISSIMI REGIS
IMPERATRICIS

P A U L I
FELICITER MENDADO CONJUNCTIS ET SODAE
INTER LITTERAS HUNGARICAE NATIOE
SIS HABILITIBUS
S A C R A T A
A B
DOMINO CHRIS. HARTWIG
E SOCIIS SIBI
ARCADE ROMANO
Bonnae die 1800



ESTERHÁZY
Könyvtár
KNY-18-
00559




AT nos remoti Lesbia ferius
Læto increpamus pollice barbata,
Dum nuptiales turba Vatum
Nobilium ingeminavit ignes.

Tamen sequemur non humili gradu,
Budæque bino pignore Cæsarum,
Sacraque tædæ flamma ovantis
In mediam veniemus Urbem.

Iö! canemus: fædera, fædera
Sunt icta vinclis connubialibus,
Per quæ potenti jam Vienna
Junxit amicitiam Trioni.

Quin tam hæc refusas late habitabilis
Junxere mundi fœdere mutuo
Gentes, et Oras, fessus ut Sol
Circumiens spatio laboret.



Quæ militaris jam manus hostium,
 Et non amica pace latens dolus,
 Furorque vinclum tentet hoc per-
 rumpere plus adamante nexum?

Non ille demens utilius suam
 Movebit iram, quam validus Mimas,
 Et turba deformis Gygantum
 In Superos fera bella movit.

Hos Tu parasti Gloria Russiæ
 PAULOVNA nexus non male Cæsarum
 Nati, ac Nepotis castum amorem
 Muneribus Veneris lucrata.

Quæ Diva tendens te reliquas super
 Jam ætate prima tollere virgines,
 Rosas genis, decusque fronti
 Eximium, ac oculis modestos

Afflavit ignes; nec Tibi Gratia
 Svaves negarunt dulcia pectora;
 Quæ dona Majestas, pudorque
 Temperat, ingenique virtus.

~~~~~~~~~

5

O! quam Dearum non superemines  
Arctoa terreni soboles Jovis?

Qui gaudet Europæ serenos  
Miti olea revocare vultus,

Ut tela miles tincta cruoribus  
Tandem recondat, versaque malleis  
In vomerem durum colonus  
Findere rus adigat paternum.

Sed cæca Gentem mens rapit impiam,  
Quæ bellum avitis legibus intulit,  
Et templa, sædavitque mores,  
Omne sacrum violante dextra.

At Musa! non hæc conveniunt tuis  
Plectris querelæ carmine non satis  
Ullo dolendæ, tu beatissimæ  
Funde animo tua vota sponsis.

Ut Diva sancto pronuba fœderi  
( Damnosa quod non imminuet dies )  
Plaudat per ævum, spemque donet  
Connubii numerosiore,



Ut Diva amorum mille jocos latus  
 Stipata circum gaudia conjuges,  
     Aulamque circum spargat, et ver  
     Nutriat assiduum fidelis.

Sicut beata vivit in Insula  
 Cum Gratiarum Numine mollium,  
     Quam cana Majorum vetustas  
     Præsidio Veneris sacravit.

Tu Buda quondam Pannoniæ nimis  
 Dilecta fedes Regibus, in tuo  
     JOSEPHUM, ALEXANDRAMQUE sponso  
     Læta fove gremio repositos.

Divesque tantis hospitibus, caput  
 Superba tolle, et barbaricæ immemor,  
     Quam Thrax tibi impressit, ruinæ,  
     Spem gere splendidioris ævi.

Corviniani cultus amænior  
 (Prædico rerum prospera) sæculi  
     Redibit, et surgent colossi  
     Trans mare veliferum reïsi.



Cælata surgent atria marmore,  
Horti decentes simplice gratia,  
Et porticus pictis stupendæ  
Fornicibus, numerisque junctæ.

Stabit supellex docta Palatiis,  
Illius antiquæ, illius æmula,  
Perenne cujus semper usque  
Nomen ad invidiam vigebit.

Nil, nil decoris, nil opulentia  
Deesse tristis Buda tibi gemes,  
JOSEPHI, ALEXANDRÆque præsens  
Cuncta potest revocare Numen.

Grati hanc feremus munificentiam  
Ad astra festis cantibus Hungari,  
Ceui læta concentus volucrum  
Agmina dant redeunte Sole;

Quem injuriosi nubila temporis,  
Aerque spisso turbine concitus,  
Imbresque sub velo morantem  
Continuere diu protervi.



Grati canendum carmine Patrones  
 Trademus ævo postgenito diem;  
 JOSEPHI, ALEXANDRÆque clarum  
 Fœdere connubii secundo.

Res mira! Apriles currere candidis  
 Videntur horæ, dum loquimur, rotis  
 Ludos ALEXANDRÆ dicatos  
 Ferre volant, properantque trudi.

Budam petamus; jam gemina huc vocant  
 Nostras camænas gaudia; scilicet  
 Ebur canet ludos, novisque  
 Conjugibus bona verba dicet.

